



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XXXV. De Confirmatione Utili Vel Inutili.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XXXV.

DE CONFIRMATIONE UTILI  
VEL INUTILI.

*Conf. Decretal. Lib. II. Tit. 30.*

§. 472.

**P**RÆCEDENTES Tituli de Sententia, & *Confirma-*  
de Appellationibus exigunt *qui-tio*  
dem, ut singularis fiat mentio de Con-  
firmatione, vel Infirmatione Senten-  
tiæ in instantia Appellationis: sub hæc  
tamen Rubrica in Decretalibus gene-  
ratim agitur de Confirmatione omnium  
actuum. Quæcunque enim vel in Ju-  
dicio, vel extra Judicium fiunt, mul-  
tis subjecta sunt impetitionibus: unde  
pro majore firmitate & securitate pe-  
titur frequenter Confirmatio a supre-  
mo Principe, vel ab alio Magistratu,  
quæ definiri solet *Actus gesti, vel Juris*  
*per legitimum Superiorem facta corroborata-*  
*tio.*

§. 473. Legitimus autem Superior *Coram le-*  
censetur esse Princeps in Causis eidem *gitimo Su-*  
reservatis, maxime si per modum di- *periore*  
spensationis & gratiæ petitur Confir- *expedita,*  
matio, veluti privilegiorum &c. Ju-  
dicis subalterni Confirmatio petitur  
in negotiis, quæ ipsius jurisdictioni  
sub-

substant, ut Confirmatio tutorum, contractuum &c. Confirmatio, quæ fit sine causæ cognitione, a quocunque Judice expediri potest, utpote Jurisdictionis voluntariæ: quæ desiderat causæ cognitionem, coram competente est expedienda. Circa Judicialia confirmari solent Sententiæ, & Res judicatæ, ac Executioni datæ, immisio in Possessionem &c. Circa Extrajudicialia petitur, & datur Confirmatio Electionum, Statutorum, Privilegiorum, Instrumentorum, Transactionis, vel ut alicubi factum dicitur, Confirmatio in Usibus & Abusibus. Econtra si actus, vel Jura prætensa cedant in detrimentum boni publici, aut contra honestatem Morum, ea infirmantur, reprobantur, aut revocantur.

*Est vel utilis, vel inutilis:* §. 474. Confirmatio juxta Rubricam Tituli vel est Utilis, vel Inutilis. *Utilis* dicitur, quando est valida, de qua proin inferior judicare non potest, nec ei contravenire. *Inutilis* est, quæ obreptitiæ vel subreptitiæ impetratur, ac proin est invalida, nec ullum habet effectum.

§. 475.

## De Confirmatione &c. 609

§. 475. Confirmatio utilis vel datur *In forma*  
*in forma communi*, diciturque Confir- *commu-*  
matio simplex & ordinaria: vel *in for-* *ni*;  
*ma speciali*, & ex certa scientia. *In*  
*forma communi* datur, quando Princeps  
non præcedente alia cognitione cau-  
sæ, actum confirmat, relinquendo  
eum in statu, in quo prius fuerat,  
nullum jus novum, neque valorem  
tribuendo, sed supponit etiam jam va-  
lidum, & approbat, in quantum de  
jure validus existit 99.). Utilis tamen  
est hæc Confirmatio, ne quis videatur  
clam, ac sine scientia Principis aut  
Papæ procedere: & ut majore fiducia  
jus suum usurpet, quando videt, illud  
a Principe confirmante saltem non im-  
probari; nam Princeps actum quo-  
dammodo suum facit: proprie tamen  
actus est illius, qui primo posuit.  
Sic Tutor in Testamento nominatus  
Q q debet

---

99.) Non obstante confirmatione a Sede A-  
postolica obtenta sub forma communi, quæ  
confirmat Beneficia, & Præbendas, sicut  
juste & pacifice possidentur. C. 5. de Con-  
cess. Præbend.

De Judiciis.

debet confirmari a Magistratu : nihilominus censetur esse non datus, sed testamentarius Tutor. In quibusdam etiam actibus Confirmatio, etiamsi sit in forma communi, singularem habet effectum : sic Confirmatio Electionis tribuit electo Episcopo potestatem administrandi.

*Vel in  
forma  
speciali :*

§. 476. Confirmatio in forma speciali, quæ fit ex certa scientia, cum perfecta notitia totius negotii, & omnium ejus circumstantiarum, novum jus tribuit actui, eumque si forsan antea invalidus fuisset, firmum reddit, atque validum 100.). Nam hæc potius est nova concessio, & quatenus  
opus

---

100.) Si quid forte incuria vel imperitia minus firmitatis insertum est, vires plenissima notionis ex hac nostra autoritate suscipiat. C. 1. de Transact. Ejusdem specialis firmitatis est Constitutio Clementis XIII. Data Anno Incarnationis Dominice 1764. 7. Idus Januarii, id est Anno Nativitatis Dominice 1765. qua Institutum Societatis Jesu, & Constitutiones priorum Pontificum in eam rem datas, denuo confirmat, & si opus sit, velut a Nobis ex integro conditas, editasque conseri precipimus & mandamus.

De Confirmatione &c. 611

opus est, dispensatio: unde actus ceteroquin nullus, redditur validus, sic si Privilegia Religioso Ordini olim concessa, postea vero per Papam vel Tridentinum revocata, nunc iterum confirmantur; si in forma communi hoc fiat, per ejusmodi Confirmationem non reviviscunt; reviviscunt autem, si confirmantur in forma speciali. Talis Confirmatio ab aliquibus colligitur, si apponuntur clausulae, ex certa scientia, sublata facultate aliter iudicandi, ex plenitudine potestatis, non obstante quacunque lege seu consuetudine in contrarium, suppletentes omnes juris & facti defectus i.). Idem multi colligunt, si tenor totius actus, privilegii vel contractus, cuius petitur Confirmatio, inseritur Confirmationi.

§. 477. Utrumque hoc signum non sufficere videtur pro intelligenda Confirmatione speciali. Nam Secretarii, & Actuarii Confirmationes expediunt secundum desideria partium, nec ex-

*Hæc non desumitur ex solis Clausulis;*

Qq 2 inde

---

1.) De his & similibus clausulis vid. BARBOSA tract. de Clausulis. Cardinal. TUSCIVS tom. I. Lit. C. verb. *Clausula*.

inde constat, confirmantem habuisse scientiam certam negotii: hæc enim deberet provenire ex matura, plena & solida causæ cognitione. Si in fine Instrumenti mox adjicitur Confirmatio, hæc certe non præstat magnam vim: perinde autem est, an Instrumento subjungatur Confirmatio, an vero Literis Confirmationis inferatur tenor instrumenti. Dictæ etiam clausulæ Literis Confirmationis adjectæ, parum operantur apud eos, qui in praxi Curiarum versati sunt: adjiciuntur enim illæ a Secretariis pro more & consuetudine, nec attenditur, an Confirmatio sit facta causa cognita: operantur tamen aliquam præsumptionem.

*Sed ex  
previa  
Cause  
Cognitio-  
ne.*

§.478. Tunc demum ex certa scientia & causa cognita censetur Confirmatio facta, si acta publica id demonstrant, scilicet si constet ejusmodi Literas in pleno confesso expediri, & ex Protocollo liqueat, vota Adsefforum desuper esse exquisita, rationes dubitandi excussas, & omnia provide peracta, ut nulla sub- & obreptio timenda sit: his demum positis cognitio  
cau-

*De Confirmatione &c.* 613

causæ intervenisse, & Confirmatio specialis facta dicitur. Cum autem adeo exacta negotii tractatio plerumque fieri non soleat, mirum non est, quod ejusmodi Confirmationes, quæ singulares videntur, a Successore Principis ad terminos Juris communis reducantur, ut proin novam vim & auctoritatem actui non præbeant. Exempla plurima occurrunt in Bullis Pontificiis. Certe vix reperietur splendidior Confirmationis specialis formula, quam in Bulla BENEDICTI XIII. quæ incipit *Pre-tiosus*, data 7. Kalend. Junii 1727. & tamen Ejus Successor CLEMENS XII. die 30. Martii 1732. de omnibus favoribus ibidem contentis idem judicium fieri præcipit, quod habebatur, antequam Literæ Benedicti concessæ fuissent, perinde scilicet, ac si illæ non emanassent.

§. 479. Alia est divisio Confirmationis in Necessariam & Voluntariam. *Confirmatio ne-*  
*cessaria,*  
*vel vo-*  
*luntaria:*  
Necessaria requiritur, quando sine ea actus non habet plenum effectum. Sic Electi indigent Confirmatione Superioris, uti de Episcopis & quibusdam

Q 9 3

Præ-

Prælati in Germania constat ex Concordatis. Pontificia enim Confirmatio Electionis Episcopalis adeo est necessaria, ut Confirmatio Cæsarea forte præcedens, tantum censeatur conditionata, nec ullum dare jus administrandi temporalia, nisi a Pontifice post examen Canonice Electionis sequatur Confirmatio, aut saltem ad tempus Indultum administrandi. Capitulationibus, quibus adstringuntur Electi, accedere debet Confirmatio Pontificis circa spiritualia, & Imperatoris circa temporalia, si vergant in præjudicium Eligendi. Concilia Ecclesiastica, ut auctoritatem obtineant, confirmari debent a Pontifice Romano. Magistratus vel Consules in plerisque Curiis inferioribus confirmatione opus habent. Idem in multis locis dicendum de Sententiis Criminalibus, item de Tutoribus. Confirmatio *Voluntaria* est tantum utilitatis & consilii, quando etiam actus sine confirmatione subsistit: accedere tamen solet Confirmatio, ut eo majorem auctoritatem habeat, præsertim apud Successores singulares, qui non tenentur

nentur præstare factum Antecessorum, nisi aliunde vinculum obligationis adsit, veluti si privilegium titulo oneroso alicui concessum in utilitatem & commodum territorii seu Provinciæ. Unde olim moris fuit, petere Confirmationes Beneficiorum seu Privilegiorum a Cæsaribus Principatum ingredientibus 2.). Idem hodie passim fit circa Privilegia & Indulta ab Episcopis vel Superioribus Religiosis concessa, quæ sæpe cum concedente expirant, nisi nova concessio petatur.

§. 480. Circa actus, quibus Confirmatio solet, potest, aut debet accedere, notandum est, per confirmationem etiam in forma speciali datam, actum non reddi validum, qui laborat defectu indispensabili, vel saltem tali, in quo dispensari non solet; nisi expressa fiat mentio talis defectus. Sic Princeps non censetur tollere jus  
Q 9 4      quæsitum

---

a.) Hujus moris mentio fit in L. 6. §. 8. ff. de Excusat. Tutor. SÆTONIUS in Vita Vespasiani Cap. 8. institutum hoc adscribit Tiberio Cæsari.

quæsitum tertio. Si actus sit invalidus ex defectu consensus, qui jure naturali requiritur ad actum, Confirmatio nihil operatur, ut in Matrimonio. In Confirmatione Electionis Prælatorum solet addi clausula, qua suppleantur defectus juris & facti: quibus verbis intelliguntur quidem suppleri defectus quoad extrinsecas solennitates; non autem defectus quoad habilitatem personæ, Simoniam, abusum potestatis secularis &c. Clausula ex certa scientia nihil operatur in iis, quæ Princeps ignorare censetur, quæ scilicet in facto consistunt, uti sunt statuta & consuetudines particulares locorum. Pacta successoria, seu Confraternitatis etiam inter Illustres Familias, ex communi Germaniæ consuetudine valide iniri possunt, nec indigent Confirmatione Superioris aut Principis, nisi agatur de Feudis, circa quæ requiritur consensus Domini directi: & quidem inter illustres Imperii, consensus Imperatoris ad ejusmodi pacta successoria in Bonis feudalibus tunc tantum requiritur, quando Feudum Imperii in aliam Familiam trans-

transferendum esset : nam alienatio Feudi, etiam irrequisito Domino directo impune fieri potest in comprehensos seu vocatos in Investitura, & quidem respectu domini Feudi tam in remotiores, quam in proximiores, quia est magis refutatio in consortem, quam alienatio 3.)

§. 481. Contractus, Pacta & cetera negotia Judicialia confirmatione judiciali non indigent : uti nec Statuta Collegiorum, quæ sunt mera pacta, ac proin opus non habent Confirmatione, nisi Leges Provinciales id requirant. Passim etiam reperitur Confirmatio Statutorum non solum factorum, sed etiam faciendorum. Minor contra contractum, consentiente Curatore in judicio initum, & a Judice confirmatum, in integrum restituitur, si gravis læsio probetur, & restitutio intra præfixum tempus petatur;

*Et judiciales.*

Q 9 5                      tur;

---

3.) KLOCKHIUS tom. 3. Cons. 150. n. 31.  
BÖHMER Consult. tom. 1. part. 2. resp. 46.  
& seqq.

tur; nam ejusmodi Confirmationibus inest clausula, in quantum actus de jure valet. Quamvis enim magna a-ctus judicialis sit autoritas, & fidei ac integritatis præsumptio pro Judi-ce & gestis coram eo negotiis; nihi-lominus Judex, dum pacta sibi obla-ta confirmat, non accurate semper causam cognoscere, nec omnes cir-cumstantias considerare potest. Si in-ter contrahentes, quorum negotium confirmat Judex, numeretur Pupil-lus vel Minor, non opus est adjecta clausula, *salvo jure Pupilli*, cum favor restitutionis huic jam competat ex di-spositione Juris communis, modo probetur læsio & restitutio petatur le-gitimo tempore 4.).

Quis ju-  
dicet de  
Confir-  
matione?

§. 482. Contra Confirmationem supradictis clausulis munitam, quæ ex benigna præsumptione juxta sty-lum Curia Romanæ os partibus clau-dunt, & manum Judicis ligant, non potest

---

4.) In Codice Civili Bavar. C. 17. §. 1. n. 7. ordinatur, ut Confirmationes con-tractuum a Tutoribus initorum, fiant sine clausula *salvo jure pupillari*.

potest inferior aliqua ratione judicare, vel eam immutare, nisi is, in cujus præjudicium clausulæ cedunt, petat a Pontifice aperitionem oris in Signatura gratiæ; aut nisi ob interventionem sub - vel obreptionis offensa sit *manifesta, quæ vel per confessionem, vel probationem legitime nota fuerit, aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari* 5.). Potest tamen Judex inferior de Confirmatione Pontificis cognoscere incidenter, judicando, quod Literæ Apostolicæ laborent vitio; disquirendo an in casu, de quo agitur, obstant vel non obstant; an ille, cui datæ sunt, sit capax talis gratiæ excipiendæ 6.); An actus, qui in forma communi confirmatur, jam prius fuerit validus, vel invalidus.

§. 483. Confirmationi Privilegio-Privile-  
rum & Instrumentorum affinis est ea-giorum  
rum *Innovatio*, ne nimia vetustate cor-Innova-  
rum- tio,

---

5.) C. 24. de Verb. signif. c. 2. de Confirm. util. vel inutil.

6.) Talis casus habetur in C. 5. & 6. de Confirm. util. &c.

620 *Secl. I. Tit. XXXV. De Confirm.*  
rumpantur, aut alio fortuito casu  
pereant, de qua re dictum ad Tit.  
XXVII. *de Fide Instrumentorum.* Talis  
Innovatio nullam auctoritatem tribuit  
Privilegio, vel Instrumento, sed so-  
lummodo servit ad faciliorem pro-  
bationem, si ipsum Originale forsan  
pereat. Si autem sit Innovatio non  
tantum Instrumenti, sed ipsius  
gratiæ in forma speciali,  
haud dubie censetur  
gratia de novo  
concessa.

